

Quamobrem ex corpore doctrinae,<sup>14</sup> in quo nostrae ecclesiae uere et recte statuunt, repeti et explicari perpetuum consensum doctrinae propheticae et apostolicae ac symbolorum hanc epitomen quantum fieri potuit excerptam contexuimus declarantem atque illustrantem concinnis definitionibus illa, quae in catechesi Lutheri summatim indicata sunt. Nec tamen aut ad ea penetrantem controuersiarum momenta, quae alibi agitantur aut nimis procul a praesenti scopo excurrentem. In hac cum utiliter post Lutheri catechesin et [A 7r:] ante examinis theologici<sup>15</sup> enarrationem exerceri posse adolescentes existimemus edendam censuimus. Prolixitatem impedituram operas discentium et rudiorum aetatem remoraturam, quae nec obruenda est copia, nec turbanda uarietate, nec implicanda perplexitate rerum consulto uitauimus, ne discentibus idem, quod Spartanis Samios legatos audientibus accidat, ut postrema non intelligant priorum obliuiscantur, τὰ μὲν πρῶτα λεχθέντα ἐπιλεῖσθαι τὰ δὲ ὕστατα οὐ συνιέναι.<sup>16</sup> Oportet enim eorum, quae tenerae aetati traduntur, modum esse, ut memoria comprehendi et animis infigi possint. Locupletior tractatio alterius loci est et occasionis. Interdum tamen ali-[A 7v:]qua uberius declarandi causa addidimus, quae ad altiora atque maiora accessuris uiam quandam praeparant. Sed ea typis exilioribus excudi curauimus, ut ab alijs, quae memoriae mandari necesse est, facilius discerni possent.

Fruantur sane his laboribus quicumque uolent, sed res ipsas in hoc libello traditas et loquendi formas nec nostras nec nouas esse sciant. Ea enim recensuimus, quae nostrae ecclesiae unanimi consensu et constantia ac fide religiosa semper hucusque eodem modo sonuerunt. Quare, si qui erunt boni et pij et coniunctionis ecclesiarum amantes, hi, ut speramus, cum gratiarum actio-

<sup>14</sup> Gemeint ist das CORPVS Doctrinae Christianae. Das ist / Gantze Summa der rechten waren Christlichen Lehre des heiligen Euangelij / nach jnnhalt Göttlicher / Prophetischen vnd Apostolischen Schrifftten / in etliche Bücher gantz richtig / Gottselig / vnd Christlich verfasst / Durch den Ehrwürdigen Herren Philippum Melanthonem. [...], Leipzig 1560 (VD 16 G 2894).

<sup>15</sup> Gemeint ist Philipp Melanchthon, Examen ordinandorum (1559), in: CR 23, 1–102.

<sup>16</sup> Herodot, Historiae III, 46, in: Herodot, Historien. Bd. 1: Bücher I–V. Griechisch-deutsch, hg. v. Josef Feix, Düsseldorf u.a. 2000<sup>6</sup>, 402.